

aminatâ et immaculatâ, Spiritu Sancto operante, factus est homo. Tu.

## FERIA IV.

Ex Concilio Wormatiensi.

Ann. 868. *yp Professione fidei—Conc. T. 23. p. 91.*

120. Novâ nativitate «Christus» est genitus quia incorrupta virginitas, et virilem colu necivilit, et fecunda per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Tu.

## FERIA V.

Ex Concilio Lateranensi Quarto. Av. 1215. *cap. 1.—Concil. T. 28. p. 155.*

121. Unigenitus Dei Filius JESUS Christus à totâ Trinitate communi èr incarnatus ex MARIA semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, una in duabus naturis persona, vitam vitæ manifestius demonstravit. Tu.

## FERIA VI.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesie Comanenensis.

Ann. 1247. *Apud Marten. Tom. 7. c. 1371.*

122. Docere debent Presbyteri veri Dei Filium pro Redemtionis humani generis carnem assumpsisse in Beatâ Virgine de carne ejusdem Virginis, non humanâ sed Spiritus Sancti operatione. Tu.

## IV.

## PUERPERIUM

## B. MARIE V.

seu ab ejus sacratissimo Partu usque ad ejus Purificationem.

## V.

VIRGO PUERPERA.

## CANONES.

*dicendi in diebus infra octav. SS. Partus qui proprios non habuerint.*

## Temp. Puerperii.

Ex S. Eulichiano Papâ.

Ann. 275. *Ep. 1. ad Episcop. Beticæ.—Com. Tom. 1. p. 511.*

123. Incenarrabilis à Deo originis, unus unigenitus Deus, in corporis humani formam Sanctæ Virginis utero insertus accrescit: qui omnia continet, infra quem et perquem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Tu.

## FERIA III.

Ex S. Eulichiano Papâ.

*Ut supra.*

124. Natus igitur æstâ unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum pleni ordinem temporum in semelipso profuturus in Deum hominem. Tu.

## FERIA IV.

Ex S. Cajo Papâ.

*Ep. 1. ad Filic. Ep. n. 4. ad an. 283.—Conc. T. 1. p. 388.*

125. Quicumque i à obœcrali, et à lumine veritatis alieni, ut Verbi Dei à tempore Incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum evangelio veritatis, quâ ratione concordent, si beatæ Virginis partum, aut caro sine deitate, aut Deitas est orta sine carne. Tu.

## FERIA V.

Ex S. Cajo Papâ.

*Ut supra.*

126. Sine Verbi potentia, nec conciperet Virgo, nec pareretur, et sine veritate carnis, obvoluta panis infantia non jaceret. Tu.

## FERIA VI.

Ex Concilio Nicæno Primo. Ann. 325. *cap. 19.—Concil. Tom. 2. p. 403.*

127. Deus erat, et est, et factus est homo propter dispensationem, incarnatus et natus ex Virgine propter suam erga genus humanum charitatem. Tu.

## Temp. Puerperii.

## SABBATO.

Ex Concilio Nicæno Primo.

*Definitio. Eprum. Vide Concil. Eph. p. 3.—Conc. T. 6. p. 174.*

128. Confitemur Dominum nostrum JESUM Christum ex Patre quidem secundum Spiritum ante sæcula genitum, novissimis verò diebus ex Virgine secundum carnem natum. Tu.

## DOM. INFRA OCT. SS. PART, CANON.

Ex S. Vitalio Episcopo.

*Serm. de fide—Conc. Ephes. p. 1. c. 4. Concil. T. 5. p. 125.*

129. Cum Verbum secundum æternam ex Deo Patre originem verus Dei Filius sit, secundum eam quæ est ex Virgine, factum est Filius hominis. Tu.

## RESPONSORIA

*dicenda post Lectiones tam in Dominicis, quam in Feriis tempore Puerperii B. M. V.*

*In I. Noct. et in Feriis II. et IV.*

§. 1. Jacob, genuit JOSEPH virum MARIE, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus. *ÿ.* Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.—Qui vocatur.

§. 2. Puer crescebat et confortabatur: plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. *ÿ.* Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.—Plenus.

§. 3. Benedicta es tu, Filia, à Domino Deo excelso \* Prae omnibus mulieribus super terram. *ÿ.* Quia per te fructum vitæ communicavimus.—Prae.—Gloria.—Prae.

*In II. Noct. et in Fer. III. et VI.*

§. 4. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum; \* Nobis genuit

Salvatorem sæculorum. *ÿ.* Beata quæ creditur, quoniam perfecta sunt ei omnia quæ diela sunt ei ab Angelo.—Nobis.

§. 5. Beata viscera MARIE Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: \* Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. *ÿ.* Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: Beatus venter qui te portavit.—Et beata.

§. 6. Ego dilectio meo, et dilectus meus mihi: \* Qui pascitur inter lilia. *ÿ.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.—Qui.—Gloria.—Qui.

*In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabbat.*

§. 7. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore: \* Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat uber de celo pleno. *ÿ.* Et benedicta in æternum nobis profuit Deum et hominem.—Salvator.

*Sequens 8. ð. omittitur in off. Domn. et ejus loco dicitur §. 9. ut infra.*

§. 8. Creator generis humani animalium corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, \* Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. *ÿ.* Felix es sacra Virgo MARIA, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.—Et procedens.

§. 9. Genuit Puerpera Regem gaudia matris habens, cum virginitali honore: \* Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. *ÿ.* Quando natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impleta sunt scripturæ.—Nec.—Gloria.—Nec.

## LECTIONES

DE

## SCRIPPTORA.

*Dicenda in Feriis, et in primo Noct. Festivitatium, quae toto Puerperio proprias non habuerunt.*

## PRO FERIS II.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 8. v. 32.

Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custoditis vias meas. Audite disciplinam, et stote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Tu. ꝑ. Jacob. p. 113.

LECTIO 2.

Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauret salutem à Domino: qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Tu. ꝑ. Puer p. 113.

LECTIO 3. c. 9. v. 1.

Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arceum, et ad mania civitatis. Tu. ꝑ. Benedicta. p. 113.

## PRO FERIS III.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 9. v. 4.

Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquitte infantiam, et vivite, et ambulante per vias prudentiae. Tu. ꝑ. Beata. p. 113.

LECTIO 2.

Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit: et qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue

sapientem, et diliget te. Da sapientiam occasionem, et addet ei sapientiam. Doce justum, et festinabit accipere. Tu. ꝑ. Beata viscer. p. 113.

LECTIO 3.

Principium sapientiae timor Domini et scientia sanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitae. Si sapiens fueris, libimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum. Tu. ꝑ. Ego dilecto. p. 113.

## PRO FERIS IV.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 10. v. 1.

Filius sapieas lætificat patrem: filius verò stultus mœstificat matris suae. Nil proderunt thesauri impietatis: iustitia verò liberabit à morte. Non alliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. Tu. ꝑ. Nesciens. p. 113.

LECTIO 2. v. 6.

Benedictio Domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas. Memoria iusti cum laudibus: et nomen impiorum pulrescet. Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cœditur labiis. Tu. ꝑ. Creator. p. 113.

LECTIO 3. v. 28.

Expectatio iustorum, lætitia: spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via Domini, et pavor his, qui operantur malum. Iustus in æternum non commovebitur: impij autem non habitabunt super terram. Os justij parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit. Tu. ꝑ. Genuit. p. 113.

## PRO FERIS V.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 12. v. 1.

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes insipientis est. Qui bonus est, hauret gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis,

impiè agit. Non roborabitur homo ex impietate: et radix iustorum non commovebitur. Tu. ꝑ. Jacob. p. 113.

LECTIO 2. c. 22. v. 1.

Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super argentum et aurum gratia bona. Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. Callidus vidit malum et abscondit se: innocens pertransiit, et afflictus est damno. Tu. ꝑ. Puer. p. 113.

LECTIO 3. c. 23. v. 24

Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus: et mater tua, et exultet, quæ genuit te. Præbe, fili mi, cor tuum mihi: et oculi tui vias meas custodiant. Tu. u. Benedicta. p. 113.

## PRO FERIS VI.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 31 v. 10

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quasi sivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum. Tu. ꝑ. Beata. p. 113.

LECTIO 2.

Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam: accinxit fortitudinis lumbos suos, et roboravit brachium suum. Tu. ꝑ. Beata viscer. p. 113.

LECTIO 3.

Gustavit, et vidit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam

misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fenum. Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigidibus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Tu. ꝑ. Ego. p. 113.

## PRO SABBATIS.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 31. v. 22.

Stragulatam vestem fecit sibi: hys suis et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Tu. ꝑ. Nesciens. p. 113.

LECTIO 2.

Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Tu. ꝑ. Creator. p. 113.

LECTIO 3.

Multæ filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus. Tu. ꝑ. Genuit. p. 113.

## CANONES.

*In feriis et in diebus post. Octav. SS. Partis et ante Domin. prim. Puerperu proprias non habentibus.*

## FERIA II.

Ex D. Paulo Ep. Emisseno.

Conc. Eph. part. 3. cap. 31.

130. Virgo Emmanuelem nobis peperit, secundum Divinam quidam naturam Patri consubstantia

lem, secundum humanam verò nobis consubstantialem. Tu.

## FERIA III.

Ex S. Theodolo Episc. Anciræ. *Homil. in Concil. Ephes. lecta.— Conc. T. 6. p. 212.*

131. Ex Patre natus est «Christus,» secundum naturam, ex Virgine nascitur propter dispensationem: hinc ut Deus, isthinc nascitur ut homo. Tu.

## FERIA IV.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ep. 45. ad Pulcher. Ang.— Conc. Tom. 7. p. 100.*

132. Tam impium est, consubstantialem et consensipernam Patri Filii Deitatem, etiam ex utero Virginis Matris partu editam negare corporeo, quam unam in Dei Filio post Incarnationis sacramentum affirmare naturam. Tu.

## FERIA V.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ep. 97. ad Leon. Ang.— Conc. Tom. 7. p. 252.*

133. Is qui ante sæcula omnia natus est ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore. Non quia divina ipsius natura de sacrâ Virgine sumpsit exordium... sed quia propter nos et propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam, et processit ex muliere, ideo dicitur natus esse carnaliter. Tu.

## FERIA VI.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ut supra.*

134. Neque prius natus est homo communis de Sanctâ Virgine, et tunc demum habitabit in eo Verbum, sed in ipsâ vulvâ uteroque virginali secum carnem coniunxit, et sustinuit generationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens. Tu.

## SABBATO.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Epist. ad Pulcher. Ang. Concil. T. 8. p. 32.*

35. Nihil prodest Dominum, nostrum Beatæ MARIE Virginis Filium, hominem dicere, si non illius generis atque seminis homo creditur, cuius in ipso Evangelii exordio predicatur. Tu.

## DOMINICA I. PUERPERII.

## Semiduplex.

*Est prima Dom. post. octav. SS. Partis.*

*Omnia ut in Psalterio, præter sequentia.*

## AD MATUT.

*Invitator.* Filium Dei factum ex muliere, factum sub lege: Venite adoremus.

*Hymnus 42. Brev. Convenar.*

Umbrâ sepultus lux oritur nova: Mundo stupenti se simul exhibent Infans creator, Virgo Mater Sequæ minor Deus ipse factus.

Numen supremum de Patre Numine,

E Matre prodit passibilis Deus: De fonte lucis lux perennis Carne suos radios obumbrat.

Compressa strictis brachia fasciis, Librata mundi pondera sustinent: Lactante nutritur parente, Collicorum cibus ipse jugis.

Laus summa Patri, summaque Filio:

Sit Sancte, compar laus tibi, Spiritus:

O Numen Infans, spes quietæ, Vindice te, redeat salutis. Amen.

## IN I. NOCT.

De libro Josue.

LECTIO 1. c. 8 v. 18

Dixit Dominus ad Josue: leva clypeum qui in manu tuâ est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam

eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, cæperunt, et succederunt eam... Vidensque Josue et omnis Israel, quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai. Tu. *Æ. Jacob. p. 113.*

LECTIO 2. v. 24.

Legitur omnibus interfectis, qui Israelem ad desertâ tendentem fuerint persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem. Erant autem, qui in eodem die ceciderunt à viro usque ad mulierem duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. Josue verò non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Tu. *Æ. Puer. p. 113.*

LECTIO 3. c. 22 v. 26

“Dixerunt Filii Ruben ad Gad: extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre et holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant eras filii vestri filiis nostris: non est vobis pars in Domino. Tu. *Æ. Benedicta. p. 113.* In II. NOCT.

Ex Bibliâ Mariânâ B. Alberti Magni Ep.

## In Josue.

LECTIO 4.

Domina Angelorum, Mater Dei est clypeus defensionis quantum ad nos, et clypeus interfectionis quantum ad Demones. Dixit Dominus, id est Pater, ad Josue, Christum Filium suum. Leva super omnem creaturam puram in sanctitate, dignitate, pietate, utilitate, cly-

peum, id est MARIAM, peccatorum defensatricem, demonum impugnatricem, qui in manu tuâ est, contra Hai. Hai interpretatur chaos, vel habitaculum eorum, id est, demonum, qui in abyssis regnant. Tu. *Æ. Beata Dei. p. 113.*

## LECTIO 5.

Cumque elevasset clypeum, id est, MARIAM, in annuntiatione, ipsam in Matrem assumendo et in assumptione secum in throno collocando, non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, id est, MARIAM, nobis in consolationem, diabolo in occisionem, et peccatis in deletionem, donec interficerentur omnes habitatores Hai, de quibus nullum debemus relinquere, sed omnes interfirere. Tu. *Æ. Beata visc. p. 113.*

## LECTIO 6.

Item ipsa est altare testimonii nostri. Dixerunt filii Ruben, et Gad: extruamus nobis altare, id est, MARIAM, infinite magnitudinis in misericordiâ, in bonitate, in humilitate, in largitate, in Filii Dei Conceptione, in testimonio liberationis, libertatis, hæreditatis celestis, ut juris nostri sit offerre holocausta, et victimas, et pacificas hostias, et ut non dicatur nobis: non est vobis pars in Domino. Et vocant altare testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus. Hoc altare extractum est in Conceptione, sanctificatum in utero edificatum in Incarnatione, elevatum in Assumptione. Tu. *Æ. Ego dilecto. p. 113.*

## IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Mattheum.

LECTIO 7. c. 1. v. 28.

Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata Mater ejus MARIA JOSEPH. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.  
*In Matthæi c. 1. p. 3.*  
 Plures irreligiosi, et à spirituali doctrinâ admodum alieni occasionem ex eo occupant turpiter de MARIA opinandi; quod dictum sit: priusquam convenissent, inventa est in utero habens, et illud, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam; et illud: non cognovit eam, donec peperit: non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc JOSEPH volentî eam lege decerni. Tu. ꝑ. Nesciens. p. 113.

## LECTIO 8.

Igitur ne qua de partu ejus ambiguitas existeret, ipse concepti ex Spiritu Sancto Christi testis assumitur: dehinc, quia desponsata esset, in conjugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim, non admisceatur. Tu. ꝑ. Genuit. p. 113.

## LECTIO 9.

Denique cum transire JOSEPH ad Egyptum monetur, ita dicitur; accipe puerum, et matrem ejus. Et quotiescumque de utroque sit sermo, Mater potius Christi, quia iderat, non uxor JOSEPH est nuncupata, quod non erat. Sed hæc quoque ab angelo servata est, ut cum desponsatam cum justo JOSEPH significabat, conjugem nuncuparet. Tu. ꝑ. Te Matrem. p. 5.

## AD LAUDES.

Hymnus. 43. *Brev. Convenar.*

O Virgo, quæ paris Deum,  
 Fovesque lacientem sinu:  
 Hunc flecte nobis, quâ vales,  
 Benigna Mater, gratiâ.

Tu nostra pax et gloria,  
 Spes vera tu mortalium;  
 Intende quas tibi preces  
 De cordis arâ fundimus.

Mundi salus, qui nasceris,

JESU puer nos respice:  
 Da moribus castis tuam  
 Referre nos Infantiam.

JESU tibi sit gloria,  
 Qui natus es de Virgine,  
 Cum Patre et alno Spiritu  
 In sempiterna sæcula. Amen.  
 ꝑ. Veritas de terrâ orta est.  
 ꝑ. Et justitia de cælo prospexit.  
*Ad Benedict. ant.* Et non cognoscerebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus JESUM.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut te quem natum de MARIA Virgine profitemur, in corde nostro habitare mereamur. Qui vivis et regn.

*Suffrag. non dicantur temp. Puerp.*

## CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.  
*Ep. ad Cler. et pleb. Constantin.*—  
 Conc. Tom. 8. p. 59.

136. Nec dicimus quod Beata Virgo MARIA hominem sine deitate conceperit, qui creatus à Spiritu Sancto, postea sit susceptus à Verbo: sed dicimus Christum Dei Filium Deum verum natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de Matre homine certâ plenitudine temporis. Tu.

*Ad Magnif. ant.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

## CANONES.

*Infra Hebdomad. prim. Puerperâ.*

## FERIA II.

Ex S. Leone Papâ Primo.  
*Ep. ad Flavian. Conc. Chalced.*—  
 Conc. T. 8. p. 411.

137. Idem sempiterni Genitoris Unigenitus sempiternus natus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine. Tu.

## FERIA III.

Ex S. Leone Papâ.  
*Serm. de Natio. Chr.*

138. Novâ nativitate « Filius Dei » genitus est, conceptus à Virgine, sine paternæ carnis concupiscentiâ, sine maternæ integritatis injuriâ. Tu.

## FERIA IV.

Ex Joanne Papâ Secundo.  
*Ep. 3. ad Senatores. Concilii T. 9.*  
 p. 123.

139. Nascitur nobis propriè de Spiritu Sancto et MARIA semper Virgine Deus homo, JESUS Filius Dei. Tu.

## FERIA V.

Ex S. Felice Papâ.  
*Ep. 5. ad Zenon. Imperator.*—  
 Conc. T. 10. p. 32.

140. Si non ex Virgine MARIA incarnatum Verbum homo factum est, quæ necessitas Virginis? Et quare ad eam dixisset Gabriel: quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei? Tu.

## FERIA VI.

Ex S. Gelasio Papâ Primo.  
*Ep. 2. ad Laurent. Ep.*—  
 Tom. 10. p. 94.

141. Ineffabiliter sibi Christus ex ipsâ « Beatâ MARIA » ædificavit Templum, et sibi univit, quod non coæternum de suâ substantiâ è cælo detulit corpus, sed ex massâ nostræ substantiæ, hoc est, ex Virgine hoc accipiens, et sibi uniens. Tu.

## SABBATO.

Ex S. Gelasio Papâ Primo.  
*Ep. 3. ad Episcopos Dardaniæ.*—  
 Conc. T. 10. p. 98.

142. Scripturæ venerabilis dicit auctoritas, et majorum testatur doctrina nostrorum: Redemptorem mundi Deum, totum simul Deum, totumque hominem ex MARIA Virgine fuisse progenitum. Tu.

## DOM. II. PUERP.

*Semiduplex.*  
*Invitat. et Hymn ad Mat. et ad Laud. ut in Dom. 1. p. 116.*

## IN I. NOCT.

De libro Judicum.

LECTIO 1. c. 5. v. 24.

Benedicta inter mulieres Jabel, uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, et in phylax principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulnere locum, et tempus valide perforans. Tu. ꝑ. Jacob. p. 113.

## LECTIO 2.

Inter pedes ejus ruit: defecit, et mortuus est: volebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis, et miserabilis. Per fenestram respiciens ululabat mater ejus, et de cenaculo loquebatur: cur moratur regredi currus ejus? Quare tardaverunt pedes quadrugarum illius? Tu. ꝑ. Puer. p. 113.

## LECTIO 3.

Uua sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socri verba respondit: forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et suppellex varia ad ornanda colla congeritur. Tu. ꝑ. Benedicta. p. 113.

## IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. MARIE V. *Lect. 16.*

## LECTIO 4.

MARIA per illam Jabelem signata esse potest, quæ clavo Sisaram interfecit. Propter quod in libro Judicum dicitur: Benedicta inter mulieres Jabel. Jabel interpretatur, ascendens, quod convenit MARIE, quæ non, sicut acediosi, descendit,

sed strenuè de virtute in virtutem de inferioribus semper ascendit. Tu. *ij.* Beata Dei. p. 113

## LECTIO 5.

Ista benedicta Jahel quid fecit? Certè clavo tabernaculi Sisaram interfecit. Sisara exclusio gaudii interpretatur, et hènè diabolium signat, quia à gaudio celestis exclusus, etiàm alios excludere festinat. Immo heul nos omnes excluderet per matrem generis humani, cujus exclusionis maledictio exclusus est per Matrem. *ij.* Beata viscera. p. 113.

## LECTIO 6.

Sed quid per clavum signatur, quo caput Sisaræ perforatur? Quis est clavus iste, nisi rigor disciplinæ? Quis est enim rigor disciplinæ aediosus, nisi quasi quidam clavus in oculis? Rigor utique disciplinæ clavus est diabolium acerrimè pungens. Benedicta utique Jahel, caput Sisaræ clavo interveniente confixit, quandò benedicta MARIA virtutem Satanæ rigore disciplinæ in se extinxit. Tu. *ij.* Ego dil. p. 113.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO 7.

*c. 2. v. 1.*  
In illo tempore: nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*Serm. 3. in Dom. 1. post Oct.*

## Eph.

Quotiens mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras exorare Matrem misericordiae, ut suggerat vos benignissimo Filio, quod vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis, carissimis, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est et Mater misericordiae. Nam si compassa est verecundia illorum, à

## Dom. II. Puerper.

quibus fuerit invitata, nullò magis compatietur nobis, si fuerit invocata. Tu. *ij.* Nesciens. p. 113.

## LECTIO 8.

Placent enim illi nuptiæ nostræ, et pertinent ad eam nullò amplius illis: nimirum de cujus utero, tantquam è thalamo suo celestis sponsus processit. Sed quem non moveat, quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ, ac sanctissimæ Matri suæ, dicens: quid mihi, et tibi, mulier? Quid tibi et illi, Domine? Nonne quod filio, et Matri? Tu. *ij.* Genuit. p. 113.

## LECTIO 9.

Nunc ergò, Domine, quid molestatus es illi, dicens: Quid mihi, et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifestè jam video, quòd non velut indignans, aut confundere volens Virginis verecundiam, dixeris: Quid mihi, et tibi? cum venientibus ad te (juxta Matris præceptum) ministris nihil cunctatus facias, quod ipsa suggestit. Tu. *ij.* Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Invoca Dominum, \* ut det nobis vinum et escam delectabilem.

Oremus.

## Oratio.

Deus, qui Filium tuum ad nos factum ex muliere, factum sub lege dignatus es mittere, concede propitius, ut, suffragantibus ejusdem Genitricis sanctissimæ precibus, valeamus ad te incolumes pervenire. Per eum. Dom.

## CANON.

Ex S. Dyonisio Alexandrino.

*Ep. adv. Paul. Samosat.*  
143. Una et sola Virgo filia vitæ genuit Verbum vivens, et per se subsistens, increatum et creatorem, qui venit in mundum et mundum eum non cognovit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Benedicta \* in-

## Dom. III. Puerper.

ter mulieres MARIA: benedicta in omni tabernaculo Jacob.

## CANONES.

*Infra Hebdomad. 2. Puerperii.*

## FERIA II.

Ex Concilio Toletano Undecimo. An. 675. in præfatione. Conc. Tom. 10. p. 509.

144. Partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur: quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile, si exemplo, non erit singulare.

## FERIA III.

Ex Concilio Mediolanensi.

An. 678. — *Concil. Tom. 16. p. 43.*

145. Qui de Patre splenduit supra intellectum, de Matre ortus est supra rationem, et cum Deus verè esset, factus est verè homo. Tu.

## FERIA IV.

Ex Concilio Mediolanensi.

*Ut supra.*

146. In tempore natus est de Sancta Virgine MARIA idem ipse Dominus noster JESUS Christus, unus in Sancta Trinitate, conglorificatus Patri et Sancto Spiritui. Tu.

## FERIA V.

Ex Concilio Constantinopolitano Tertio.

An. 680. In *dicto Imper. Constantini. T. 16. p. 334.*

147. Confitemur unum Sanctæ Trinitatis Dominum nostrum JESUM—Christum... natum ex eadem Virgine MARIA super omnem intelligentiam, et super omnem mentis considerationem. Tu.

## FERIA VI.

Ex Concilio Toletano Decimoquarto An. 684. *Cap. 8. Tom. 17. p. 62.*

147. Nec alter «Christus» ex Patre, alter ex Matre est genitus. Cum tamen aliter de Patre, aliter

de Matre sit natus, ipse tamen in utroque naturarum genere non divinus, sed unus idemque Dei et hominis filius. Tu.

## SABBATO.

Ex Concilio Toletano Decimo sexto An. 693. *Allocution. Flav. Euge. Reg. Tom. 17. p. 143.*

149. Licet inseparabilia sint opera Trinitatis, tamen fideliter profitemur, non tantum fide cordis sed et oris professione, quòd non tota Trinitas suscepit carnem, sed solus Filius Dei, qui est ante secula ex Dei Patris substantia genitus, in fine sæculorum de Virgine MARIA, Evangelio teste, natus. Tu.

## DOM. III. PUERPER.

## Semiduplex.

*Si in sequenti Dom. incidit Septuagesima, hæc Dom. III. et sequens omittuntur, et in eorum loco ponitur Dominica V. Puerperii, quæ nunquam omittitur. Si Sept. incidit in Dom. V. loco Dom. III. ponitur IV. et in Dom. IV. ponit V. Invitat. et hymnus ad Mat. et ad Laud. ut in Dom. I. p. 116.*

## IN I. NOCT.

De libro Judicum.

## LECTIO 1. c. 6. v. 34.

Spiritus aulem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina, convocavit domum Abieser, et sequeretur se. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum: et alios nuntios in Aser, et Zabulon, et Nephtali, qui occurrerunt ei. Tu. *ij.* Jacob. p. 113.

## LECTIO 2.

Dixitque Gedeon ad Deum: si saluum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc velus lana: in aræ: si ros in solo veltere fuerit, et in omni terrâ sic-

citias, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et do nocte conurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Tu. ꝑ. Puer. p. 113.

## LECTIO 3.

Dixitque rursus ad Deum: ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum querens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat, et fuit scitias in solo vellere, et ros in omni terrâ. Tu. Benedicta. p. 113.

## IN III. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.  
Hom. 2. super Missus.

## LECTIO 4.

Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in arca ponitur, et nunc quidem lana, nunc verò arca rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis? Cui utique, distillantibus coelis, tota se inundit plenitudo divinitatis; adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quam terra arida sumus. Tu. ꝑ. Beata Dei. p. 113.

## LECTIO 5.

Hinc quoque Gedeonis factio propheticum dictum pulchre satis convenire videtur, ubi legitur: descendet sicut pluvia in vellus. Num per hoc quod sequitur: et stillicidia stillantia super terram: idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream? Tu. ꝑ. Beata viscer. p. 113.

## LECTIO 6.

Pluvia quippe voluntaria, quam segregavit Deus hereditati suae, placidè prius et absque strepitu

operationis humanae suo se quietissimo illapsu virgineum dimisit in uterum. Postmodum verò ubique terrarum diffusa est per ora praedicantium; non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram cum quodam utique strepitu verborum ac sonitu miraculorum. Tu. ꝑ. Ego dilecto. p. 113.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO 7. c. 3. v. 6.

In illo tempore: dixit JESUS Nicodemus: quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Nazianzeni Ep.

## ORAT. 49. De fide, in fine.

De spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, hoc peperit, id est, Deum, carnem et animam suam, id est, homini, ut jam dixi, personae unitate sociatum, sicut ipse ait: Quod nascitur de Spiritu, Spiritus est: quia Spiritus est, ex Deo natus est. Sicut et Angelus ad MARIAM Virginem dixit: Spiritus Dei venit in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ꝑ. Nesciens p. 113.

## LECTIO 8.

Propterea, et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Vides ergo ipsum Verbum, ipsum Dei Filium venisse in Virginem, et in Dei et hominis Filium processisse, nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum, sed eundem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum apud Patrem Deus, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Tu. ꝑ. Genouit. p. 113.

## LECTIO 9.

Caeterum amentia est credere,

posse ab eo liberari, qui ut liberaretur, missus est, ut ad immortalitatem redigeret, qui transit ad mortem, qui ut nasceretur oppressus est. Sed absit, haereticè, ut sensus tui iniquitas à catholicis admittatur. Nos enim credimus immutabilem et inconvertibilem, sicut Patrem, ita et Spiritum Sanctum, et Filium Dei. Tu. Te Matrem. p. 5.

Ad Benedict. ant. Quod natum est ex te sanctum, Virgo MARIA, vocatur Filius Dei.

## Oremus.

## Oratio.

Fac nos, quaesumus Domine, divinitatis tuae esse consortes, qui, nascendo de immaculata Virgine MARIA, humanitatis nostrae fieri dignatus es particeps. Qui vivis et regnas.

## CANON.

Ex S. Basilio Episcopo.

Ep. ad Julian. Transgres. lect. in Conc. Nicœni act. 4.—Concil. Tom. 19. p. 280.

130. Confiteor incarnatam Filii dispensationem, et Dei Genitricem Sanctissimam MARIAM, quae illum secundum carnem peperit. Tu.

Ad Magnif. ant. Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

## CANONES.

Infra Hebdomadam 3. Puerperii.

## FERIA II.

Ex Concilio Francofordiensi. An. 794. Epist. Synod. ad Episcop. Hispan. Tom. 20. p. 114.

131. Idem ipse Dei Filius primogenitus est Virginis, ut dicitis; etiã et unigenitus, quia non habuit sequentes carnaliter fratres. Tu.

## FERIA III.

Ex Concilio Francofordiensi. Ut supra pag. 122.

132. Unitas personae, quae est in Dei Filio, et Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam. Si ergo Deus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Tu.

## FERIA IV.

Ex Concilio Francofordiensi.

Ut supra p. 126.

133. Quid est aliud dicere eandem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus sed Filius: quia alia persona est proprii Filii, alia adoptivi Filii vel servi. Tu.

## FERIA V.

Ex Concilio Tullensi Secundo. An. 860. Ep. Synod. p. 694.—Concil. Tom. 22.

134. Ipse, qui semper unum et ubique est cum Patre et Spiritu Sancto essentiali majestatis propter nos homines et propter nostram salutem, opere conceptus ejusdem Spiritus Sancti, natus ex MARIA Virgine, id est ex virgineâ matrem carnis substantiã in duabus et ex duabus naturis, atque substantiis divinitatis scilicet et humanitatis. Tu.

## FERIA VI.

Ex Concilio Wormatiensi. An. 868. in profess. fidei. Concil. T. 23. p. 91.

135. De tribus personis sola Filii persona hominem verum sine peccato pro liberatione humani generis ex MARIA Virgine novo ordine, novaque nativitate assumpsit. Tu.

## SABBATO.

Ex S. Martino Papâ Primo. Ep. 14. ad Theodorum. Concil. T. 15. p. 47.

136. «Gloriosa semper Virgo

MARIA Deum et Dominum nostrum JESUM-Christum peperit, quam omnes sancti et catholici Patres Dei Genitricem appellant, utpote quæ Deum genuit.... Tu.

DOM. IV. IN PUERP.

*Semiduplex.*

*Vide Rubricam positam in Dom. præcedenti. Inuitat. et Hymni ad Matut. et ad Laud. ut in Dom. 1. p. 116.*

IN I. NOCT.

De libro Ruth.

LECTIO 1. c. 2. v. 1.

Erat autem viro Elimelech sanguineus homo potens, et magnarum operum, nomine Booz. Dixitque Ruth Moabitibus ad socrum suam: si iubes, vadam in agro, et colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque elementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa respondit: vade filia mea. Tu. ꝑ. Jacob. p. 113.

LECTIO 2.

Abiit itaque, et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet Dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce ipse veniebat de Bethleem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. Tu. ꝑ. Puer. p. 113.

LECTIO 3.

Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat. Cujus est hæc puella? Cui respondit: hæc est Moabitidis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, et rogavit, ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem reversa est. Tu. ꝑ. Benedicta. p. 113.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep.

Dom. IV. Puerper. in Speculo B. MARIE. V. Lect. 3.

LECTIO 4.

Dico ergo, quod gratia MARIE colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos. Hoc bene signatum est in gratia, quam in colligendis spicis à messoribus derelictis Ruth invenerat, quando dixit ad Booz: inveni gratiam in oculis Domini mei. Ruth interpretatur videns vel festinans, et signat beatam Virginem, quæ verè videns in contemplatione, et benè festinans fuit in actione. Videns etiã nostram miseriam est, et festinans ad impendendam suam misericordiam. Tu. ꝑ. Beata. p. 113.

LECTIO 5.

Booz interpretatur virtus, et signat illum, de quo in Psalmo dicitur: magnus Dominus, et magna virtus ejus. Ruth ergo in oculis Booz, MARIA in oculis Domini hæc gratiam invenit, ut ipsa spicas, id est, animas, à messoribus derelictas colligere ad veniam possit. Tu. ꝑ. Beata. p. 113.

LECTIO 6.

Qui sunt mессores, nisi doctores et rectores? ò verè magna MARIE gratia, quæ multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à doctoribus et rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur. Et ideò benè beatus Bernardus ait: MARIA, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo judici miserum reconcilias. Tu. ꝑ. Ep. dilecto. p. 113.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 2. v. 1.

Cum ergo natus esset JESUS in Bethleem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Gaudentii Ep. Bri-

xiensis. Tract. 1. et 2. de Lect. Evangelii. Lectio 2.

LECTIO 4.

Nascitur Christus non sibi, sed nobis: nascitur enim, qui semper erat, nascitur qui in principio erat, et Filius Dei, et Deus. Hic ideò prope finem sæculi ex Virgine natus est, ut Verbum caro factum habitaret in nobis, permanens tamen Deus esse, quod semper. Nascitur autem Filius Dei in homine, ut vel idè conditorem suum interi cuperet mundus, et nascitur de Spiritu Sancto ex Virgine, ut hominem, quem de limo terræ plasmaverat, Sancto Spiritu ex massâ eadem reformaret. Tu. Nesciens. p. 113.

LECTIO 8.

Si credimus conceptum Virginis, credere debemus et partum: utrumque impossibile videtur homini, sed est omnipotentia divini parvum. Quod sine corruptelâ Matris conceptus creditur, cur non etiã sine corruptelâ editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit: Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Eadem ergo divinitatis virtute per inviolabilem feminam, mundi hujus intravit hospitium, claustrum virginæ pudoris etiã nascendo conservans, qui post resurrectionem januis obseratis domum potuit corporeus introire. Tu. ꝑ. Genuit. p. 113.

*Quando in Dom. III. Puerp. fit de Dom. IV. tunc loco sequentis Lectionis, legitur Evangel. cum Hom. Dom. III. pro commemoratione ejusdem.*

LECTIO 9.

Illud etiã questioni solvendæ quam maxime congruit, quod Apostolus Christum memorat, editum de

muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Utique ut sic illa (cum virgo sit) mulier appelleret, veritate sexus, non detrimento integritatis, quomodo Deus Dei filius ob dispensationem salutis nostræ sub lege factus esse prædicitur, cum dator ipse sit legis. Hoc totum pro beatitudine MARIE dixerim, cum illam Christus mulierem nuncupaverit, quæ divino partu sic cepit esse Mater, ut Virgo sacratior permaneret. Tu. Te Matrem. p. 3.

Ad Benedict. ant. Impleti sunt dies MARIE, ut pareret, et peperit Virgo Christum Dominum.

Oremus.

Oratio.

Deus, qui vitiatæ stirpis originem per virginalem uterum reparare dignatus es, concede propitius, ut quos proprii reatus moles gravat intercessio beatæ Dei Genitricis attollat. Per eund. Dominum.

CANON.

Ex Alejandro Papâ Tertio. *Epist. 32. ad Sold. Iconi.*— C. 27. p. 287.

137. Magna igitur et omni laude dignissima fuit Mater et Virgo MARIA Beatissima, quæ tantum Dei et hominis mundo edidit Mediatorem, et nostrum parere meruit Salvatorem: quæ inter omnes quas mundus habuit mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Tu.

ante oculos tuos, et consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ.

CANONES

*Infra hebdom. 4. Puerperii.*

FERIA II.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

*Ut supra. p. 282.*

158. Natus est Filius Dei de Virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus Adan de terrâ Virgine et inviolatâ, Spiritu Sancto in eâ operante, nostræque salutis negotium ineffabiliter procurante. Tu.

## FERIA III

Ex Concilio Constantinopolitano. an. 1279.—*Labb. Collect. Concil. Tom. 7. col. 735.*

159. Naturalis existens et Filius Dei, naturâ et verus semper Virginis MARLE ipse idem Filius existit, qui carnem accepit expiâ. Tu.

## FERIA IV.

Ex Sancto Proclo Episcopo. *Oratio de Nativ. Chr.*

160. Naturâ portas reseravit Emmanuel, ut homo: sed virginitatis claustra non violavit, neque prærupit ut Deus; itâ enim ex utero egressus, sicut per aurem ingressus, itâ natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus. Tu.

## FERIA V.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

*In Psalm. 61. enarrat. n. 5.*

161. Non enim alter ex Matre: sed qui erat ex Patre, carnem sumpsit ex Virgine: affectum assumpsit ex Matre: ut infirmitates nostras ipse susceperet. Tu.

## FERIA VI.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

*Exposit. Ep. Lucæ lib. 2. n. 43.*

162. Ex utero funditur, sed coruscet à cælo: terreno in diversorio jacet, sed cælesti lumine viget. Nupta peperit, sed virgo concepit, nupta concepit, sed virgo generavit. Tu.

## SABBATO.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

*In Psalm. 1. Enarrat. n. 34.*

163. Puer nobis natus est, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex MARIA. Caro nascitur nobis, Verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natus est: quod supra nos est, nobis donatum est. Tu.

## DOM. V. PUER.

*Semiduplex.*

*Vide Rubr. positam in Dom III p. 121 Invitat. et Hymni ad Mat. et Laud. ut in Dom. I. p. 116.*

## IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

## LECTIO 1. c. 1. v. 1.

Fuit vir unus de Ramathaim sophilim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham filii Eliu, filii Thohu, filii Suph Ephraëus: et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenennæ. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. Tu. §. Jacob. p. 113.

## LECTIO 2.

Et ascendebat vir ille de civitate suâ, statutis diebus, ut adoraret, et sacrificaret Domino exercitum in Silo. Erant autem ibi duo filii, Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes. Tu. §. Puer. p. 113.

## LECTIO 3.

Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobaret, quod Dominus conclusisset vulvam ejus: sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderet

ad templum Domini: et sic provocabat eam. Tu. §. Benedicta. p. 113:

## IN II. NOCT.

De expositione S. Gregorii Papæ in libros Regum. 1. Reg.

## LECTIO 4.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophilim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo MARIA Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons MARIA, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi peringeret, meritum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Tu. §. Beata Dei. p. 113.

## LECTIO 5.

Sed rectè mons Ephraim, id est, frugiter dicitur, de quâ optimus fructus, id est, novus homo generatur. Quam certè in fecunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque Propheta respiciens ait: egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. De hujus namque montis fructu David Deo exullans ait: confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum. Tu. §. Beata viscera. p. 113.

## LECTIO 6.

Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit maritali opere, sed Sancti Spiritus umbratione. Hinc eidem regi et prophætæ à Domino dicitur: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hinc Isaias ait: erit fructus terræ sublimis. Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiâ potens Deus. Tu. §. Ego dilecto. p. 113.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

## LECTIO 7. c. 1. v. 16.

Jacob genuit JOSEPH virum MARLE, de quâ natus est JESUS. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

## Concio 2. in Nativ. B. V. M.

Hæc, inquam, mihi basitanti, cur de acibus Virginis, sicut de acibus Pauli, liber non est compositus, nihil aliud occurrit, quam ita placuisse Spiritui Sancto, ejusque Providentiæ. Evangelistas siluisse propterea quia Virginis gloria, sicut in Psalmis legitur, omnino intus erat, et magis cogitari, quam describi. Sufficit ad ejus plenam Historiam, quod scriptum est in Thematæ: quia de illâ natus est JESUS. Quid amplius quæris? quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est. Tu. §. Nesciens. p. 113.

## LECTIO 8.

Quicquid de Virgine scire, aut intelligere cupio, totum in hoc includitur breviloquio. De quâ natus est JESUS. Hæc longa, et plenissima ejus historia est. Anselmus. De Virgine MARIA solum dicere, quod Mater Dei est, superat totum quod sub Deo dici potest. Unde Beatus Thomas quamdam ei dignitatis infinitatem attribuit, et merito: si enim quo alior est filius, dignior Mater est, quis dubitat, quin infiniti Filii infinita quodammodo sit Matris auctoritas, dignitasque? Tu. §. Genuit. p. 113. Quando in Dominicâ III. vol. IV. fit de Dominicâ V. loco sequentis Læctionis fit commemor. Domini. occurritis.

## LECTIO 9.

Audi piissima: audi clementissima,



de qua natus est JESUS. Hoc enim nomen super omne nomen pure creature, in quo nemo tecum participat, o Virgo. Cui enim aliquando, non dicam hominum sed Angelorum dixit: Mater mea es tu; Filius tuus ego sum? Ad Angelos quidem dicit: qui faciunt Angelos tuos Spiritus, et Ministros suos ignem urentem. Ad Virginem autem: unica est amica mea. Electa una es, quia nec similem tibi visa est, nec habere sequentem. Tu. Te Matrem. p. 5.

Ad Bened. ant. JOSEPH \* erat vir MARIE, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Oremus.

Oratio.  
Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui pondere propriæ actionis præmimur, Sanctissimæ Genitricis tuæ intercessio gloriosa nos protegat. Qui visis et regnas.

#### CANON.

Ex S. Ambrosio Episcopo.  
In Psalm. 118. Exp. Sermon. 3. n. 25.

164. Ita creatum «Christum» dico quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. Tu.

Ad. Magnificat. ant. Mons Dei, mons pinguis, mons, in quo benedictionis fuit Deo habitare in ipso, alleluia, alleluia.

#### CANONES

Infra Hebdomadam 5. Puerperii.

#### FERIA II.

Ex S. Hilario Episcopo.  
De Synod. seu de fide Oriental. n. 29.  
165. Qui in novissimis diebus descendit desursum et natus est ex Virgine secundum Scripturas,.... mediator Dei et hominum. Tu.

#### FERIA III.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Trinit. libr. X. n. 22.

166. Quomodo JESUS Christus Dei Filius natus ex MARIA est, nisi quod Verbum caro factum est; scilicet quod Filius Dei cum in formâ Dei esset, formam serviacepit? Tu.

#### FERIA IV.

Ex S. Petro Damiano.

Hom. in lib. Generation.—Flor. Patr. p. 441.

167. Imensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit: qui sibi et munus fecunditatis altituli conceptus, et virginitatis decus non abstulit natus: qui antequam nasceretur, talem creavit eam, ut dignè nasci posset ex eâ. Tu.

#### FERIA V.

Ex D. Eleuterio Ep. Tornacensi.

In orat. ad Deum pro fide et Eccl. Torn.

168. Permanens «Virgo» in castitate Dei filium terris edidit et post admirabilem partum in virginitate consistens, Christum JESUM divino lacte nutritiv. Tu.

#### FERIA VI.

Ex Joanne Papâ Secundo.

Ep. 3. ad Senator. Tom. 9. Concilior. p. 122.

169. Ipse «Deus» ultimis temporibus incarnatus ex sacrâ et gloriosâ Virgine Matre nasci dignatus est. Tu.

#### SABBATO.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.  
Conc. 2. in Natal. Dom. n. 6.

170. Animadvertite Virginem Puerperam, evacuatam neque visitam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore: videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacram, partum Deo dignissimum, et obstupescite. Tu.

V.

## VITA CONTEMPLATIVA

### B. MARIE V.

Seu ab ejus Purificatione usque ad Tempus Passionis.

#### RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tam in Dominicis quam in Feriis, Tempore vite contemplativæ B. M. V. excepto in quadragesimâ.

In I. Noct. et in II. et V. Feriis.

¶ 1. Memorare dierum humilitatis tuæ, et ostende te nobis in tempore tribulationis. \* Quia in domo regis es præ cunctis hominibus. ¶ Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.—Quia.

¶ 2. Coninet in gremio cælum terramque regentem Virgo Dei Genitrix: \* Proceres comitantur heriles. ¶ Per quos orbis ovans Christo sub principe pollet.—Proceres.

¶ 3. Virgo, quæ magnum potes exorare Tonantem, et potes irati sistere tela Dei. \* Mater et ipsa Dei, Mater et ipsa hominis. ¶ Loquere pro nobis bona, et averte iram Dei à nobis.—Mater.—Glor.—Mater.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

¶ 4. Tu medicina mei gemitus, tu lux oculorum, \* Anchora tuta spei, rectissimâ regula morum. ¶ Tu mea dux, mea lux, mea spes, mea res, mea vita.—Anchora.

¶ 5. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus: \* Non extinguetur in nocte lucerna ejus. ¶ Mediâ nocte surgebam ad conflendum tibi super judicia justitiæ tuæ.—Non ext.

¶ 6. Lælamini, et exultate in eâ omnes qui diligitis eam: \* Gaudete cum eâ gaudio, universi. ¶ Ecco ego declinabo super eam qua-

si fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium.—Gaudete.—Gloria.—Gaudete.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabb.

¶ 7. Quædam mulier excepit, Dominum in domum suam: \* MARIA autem sedens secus pedes ejus audiebat verbum illius. ¶ Conservabat omnia verba ejus confrens in corde suo.—MARIA.

¶ 8. Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: \* Porrò unum est necessarium. ¶ MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.—Porrò.

¶ 9. Intra cubiculum, et clauso ostio Virgo MARIE \* Orat pro nobis Patrem in abscondito. ¶ Si invenis, Domine, gratiam in oculis tuis, da mihi populum meum, pro quo obsecro.—Orat.—Gloria.—Orat.

#### LECTIONES

## DE SCRIPTURA

dicende in Feriis, et in primo Noct. Festivitatum, quæ toto hoc tempore vite contempl. proprias non habuerint. Dicuntur etiam in diebus infra octav. Purificationis.

#### IN FERIS II.

De libro Sapientiæ.

LECTIO. c. 4. v. 1.

Quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illum: et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoquinatorum certaminum præmium vincens. Tu. ¶ Memorare p. 129.

LECTIO. c. 6. v. 1.

Melior est sapientia, quam vires, et vir prudens quam fortis... Concupiscite ergo sermones meos: di-